

sandi in *materia* objici potest tale dubium: Quicquid non competit soli *materia*, illud non potest dici illius ratio causandi. Atqui potentia passiva non competit soli *materiae* E. Major est vera, quia per hoc *causa* à se invicem distingui debent, quod quilibet earum peculiarem habeat rationem causandi, quælibet quoque aliam peculiarem *causalitatem*. Minor autem probatur, quia potentia passiva competit etiam *causæ* efficienti internæ. Hæc enim per potentiam passivam retinet actum à se productum. Verum ad hoc breviter respondemus, aliud esse potentiam passivam competere alicui, aliud potentiam passivam competere alicui, ut rationem causandi. Competit quidem potentia passiva etiam *causæ* efficienti internæ, sed non ut *ratio* causandi; per eam enim *causa* efficiens non in actu primo constituitur efficiens, sed per potentiam activam; *materiae* autem sive *causæ materiali* competit potentia passiva, ut *ratio* causandi illius & eatenus etiam nulli alii *causarum* generi ea competit.

XX.

Causalitas materiae respectu *compositi* & *formæ in fieri* est *passio*. Quæ quidem idem est cum *actione*. Nam *actio* & *passio* est una entitas, quæ concipitur prout dependet ab agente dicitur *actio*, prout autem recipitur à patiente, dicitur *passio*. Confer Jacob. Martini *part. Metaph. lib. 2. sect. 12. quest. 5. Causalitas* verò *Materiae* respectu *formæ* & *compositi in facto esse* dicitur communiter *unio* inter *materiam* & *formam*. Verum hæc sententia, si paulò penitius inspicitur, vix invenit locum. Nam si per *unionem materiae* est *causa formæ*, sequitur, quod *materia* sit etiam *causa animæ rationalis*, quia etiam inter animam rationalem & *materiam* est *unio*. Consequens est absurdum E. & antecedens. Consequentis absurditas probatur, quia anima est Spiritus, Spiritus autem *causatum materiae* non est neque à *materia* dependet. Rectius ergo dicitur, quod *causalitas materiae* respectu *formæ in facto esse*, sit *dependentia formæ in esse suo à materia*. Per hoc enim, quod *forma* in esse suo à *materia* dependet, *materia* actu est *causa* illius *formæ*, & sic etiam excluditur anima rationalis, quia ea non dependet à *materia* in esse suo. Contra hanc duplicem *materiae causalitatem* potest tale formari argumentum: Quotuplex est *ratio* causandi

fandi